





11.

B. C. D

1732 20  
24

DISSERTATIONIS ACADEMICAЕ  
QVA  
NECESSITAS REVELA  
TIONIS DIVINAE  
A PRIORI DEMONSTRATVR  
*SECTIO POSTERIOR*  
IPSAM EXHIBENS DEMONSTRATIONEM

QVAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE

PRAESIDE  
M.CHRISTOPH.LVDOVICO  
OBBARIO

AVLEB. THVR.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

AD D. MART. M DCC XXXII

PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI  
EXPOSIT

WOLFGANG. HENRICVS GRAVN

OBERGRAEFFENH. MISN.

REV. MIN. CANDID.

VITEMBERGAE  
LITERIS SCHLOMACHIANIS



DISSESSATIONIS ACADEMICE  
NECESSITATIS RAVELA  
TIONIS DIVINAE  
A PROPERIO DEMONSTRATORIA  
SACRAO PORTATORIA  
PESAM EXHIBENS DEMONSTRATIONEM  
CONVENTIONE AMPLIANDO PHRAGMAM  
OBRAARIO  
CHRISTOPHTADDAICO  
ID ADICTIONE THILOGRAPHICO  
PARVACE EDITIONE M. DEDICATIONI  
MOTTEGANG HEIRICAS GRAN  
ALLEGAMENORIA  
LITERIS SCHOLOMACHIANIS

DE

# NECESSITATE REVELATIONIS DIVINAE SECTIO POSTERIOR.

§. XXXI.



Vicquid non habet causam extra se, unde dependet, existit a seme ipso, et habet tuires illimitatas, adeoque est infinitum, (§. 3.) et per consequens habet et possidet omnes perfectiones possibles. (§. 13.) In mundo nullas, saltem absolute tales, uel exiguae admodum deprehendis perfectiones, omnia sunt limitata terminisque circumscripta, plurima composita et materialia, mundus igitur habeat causam extra se, unde dependeat et unde ita limitatus sit, necesse est. <sup>a)</sup>

§. XXXII. Mundus est totum hoc uniuersum, seu complexus omnium omnino rerum creatarum. Constat igitur ex pluribus, quae tamen harmonice inter se conspirant, saltem conspirare debent, et mutationibus est obnoxius. Est igitur limitatus et finitus, et habet causam sui extra se. (§. 31.) Haec causa non potest esse limitata, est enim stupenda magnitudinis ac sapientiae opus, E. est illimitata. Solus Deus est ens illimitatum et infinitum, (§. 3.) E. Deus est causa huius uniuersi.

§. XXXIII. Deus est sapietissimus, (§. 9.) nihil ergo facit frustra et sine sufficiente ratione, creavit igitur mundum ob certum finem. Finis ultimus omnium actionum entis intelligentis est felicitas, Deus omnes possidet perfectiones possibles, (§. 13.) adeoque iam est felicissimus, (§. 15.) E. Deus mundum non creavit propter felicitatem suam. (§. 30.)

§. XXXIV. Finis ultimus omnium actionum Dei est amor sui ipsius et perfectionum suarum. (§. 30.) Amor sui ipsius dicitur φιλανθρία. Quicunque uero agit ex φιλανθρίᾳ, aut obtinere quaer-

A 2

rit

<sup>a)</sup> vid. Ccl. Büßinger Dilucid, Phil. de Deo, anima hum. et mundo §. 394,  
P. 427. ir. §. 187, p. 181.

rit aut conseruare perfectiones, aut intendit aliis manifestare et declarare perfectiones suas. Deus in se et ex se felicissimus est, et nihil turbare potest eius felicitatem, (§. 30.) hinc per creationem mundi nihil aliud intendere potuit, quam demonstrationem et manifestationem perfectionum ac felicitatis suae.

§. XXXV. *Gloria et maiestas Dei* est complexus omnium attributorum diuinorum, sive perfectiones Dei iunctim sumtae constituent eius maiestatem. Cum igitur Deus per creationem huius uniuersi perfectiones suas demonstrare voluerit, (§. 34.) patet, *demonstrationem gloriae et maiestatis diuinae esse finem proximum creationis mundi.*

§. XXXVI. Cum uero Deus, qui omnia fecit propter semet ipsum, (§. 30.) b) et ex amore gloriae sua, (§. 35.) non indigeat illis operibus ad extra ad augendam uel conseruandam felicitatem suam, (per saepius demonstr.) potuit et uniuersum hoc non creare, creauit ergo libere, et absolute independenter, et a nullo principio extrinseco determinatus est ad creandum. Cum uero sit sapientissimus et omnipotens, creavit mundum optimum. Et quia contradictorium est, dari duo entia infinita, *creavit mundum limitatum et finitum.*

§. XXXVII. Deus est sanctus et uult nisi bonum, et auersatur omne malum, seu imperfectionem per se talem. (§. 16.) Limitatio est quidem imperfectio, sed relative tantum, non autem malum per se, possunt enim limitata in suo genere esse optima et perfecta. Peccatum uero est malum per se et ex sua natura; est enim reclinatio a voluntate Dei, uoluntas Dei semper pro objecto habet bonum, E. peccans, dum reclinat a voluntate Dei, contraria appetit, i. e. mala per se. Deus creauit mundum optimum, (§. 36.) sed creare illum quidem potuit limitatum, at non peccaminosum, quia auersatur peccatum, E. mundus peccato infectus non est optimus.

*Obit.* Si Deus creauit mundum optimum, sequitur quod mundus praefens, in quo est peccatum, si optimus; mundus enim praefens est idem ille mundus, quem creauit Deus. Non sibi opponi potest mundus, ut olim perfectior, sed imperfectior: sunt partes, sunt aerates eiusdem mundi perfectiores; sed non mundus unus et alter, perfectiore et imperfectior. c) Paucis limi-

b) Pro. XVI. 4.  
c) Bulffinger l. c. §. 142. p. 143.

limitatis omnia concedimus, salua manente thesi nostra. Deus creauit mundum optimum, mundus praesens etiam est idem ille mundus, quem creauit Deus, sed NB. quoad *substantialia* et *essentia*l*a*, valde uero mutatus est in *accidentalibus*, *contingenibus*, et *quae a causa* liberis dependent. Facile etiam concedo, non esse mundum unum et alterum, perfectorem et imperfectorem, sed esse tan-tum aetates eiusdem mundi perfectiores. Sed quid inde? num ideo malum morale seu peccatum pertinet ad mundum optimum, ita, ut hic mundus non esset optimus, nisi in eo esset peccatum? non puto: hoc tantum sequitur, mundum hunc, non alium, olim fuisse optimum, hodie non. Dicis; sed tota series omnium mutabilium *simultaneorum* et *successuorum*, atque inter se connexorum, constituit de-mum mundum. Sed id ipsum est, de quo disputamus: cuilibet qui-dem dissentendi reliquimus libertatem, adsunt tamen, uti opini-or, rationes sufficientes, quare hanc mundi definitionem admittere non possumus. Nonne enim Deus intra sextiduum, uti ex re-uelatione constat, d) creauit totum mundum? Rem illustrare pla-cet similibus, quibus ipsi utuntur dissentientes. In *avroquatu*s quodam perpetuae dantur mutationes, quae omnes ita inter se sunt connexae, ut semper prior motus in se contineat rationem proxi-me sequentis. Iam quaerere liceat: anne machina ista perfectum constituat *avrōuato*r, et omnia habeat, quae ad horologium requi-runtur, quamprimum artifex operi extremam admouit manum? at uero tota demum series mutationum simultanearum, et succe-suarum, inter se connexarum constitutat *avrōuato*? Sic Petrus est homo, siue consideretur ut infans, siue ut adolescens, siue ut senex, siue fanus sit, siue grauissimo laboret morbo. Sic *vulgari sensu*, addo et genuino, mundus hic non desineret idem esse, eis alia quedam in eo eueniunt, quam eueniunt. Et in sensu diuiso (ubr sc. non bunc us-bunc, ut sic et non aliud determinatum spectas, s-d) ubi mundi praeteritum statum tantum attendis, et quae ex illo consequi possint (eis forte non consequantur aciu) potest. Nam proprie dici ei philosophice, quod pos-suis hisce omnibus antecedentibus alia fieri in mundo nostro possint, (addo et ex intentione Dei fieri deberent) quam quae sunt, eis non sicut alia, quam quae sunt. e) Mutationes itaque et euentus mundani, quae eueniunt in mundo, non confundendi sunt cum ipso mundo.

d) Gen. III. 1. 2. coll. c. I. 31.

e) Bullinger, l.c. et Cl. Hollman. Institut. Phys. §. 112. p. 92.

§. XXXVIII. Deus per creationem mundi demonstrare uoluit gloriam suam, (§. 35.) E. cognosci debuit illius gloria ab aliis. Cognitio perfectionum praesupponit ens ratione et intellectu praeditum, tale ens ante creationem non extitit, praeter Deum, Deus uero sibi ipsi gloriam suam manifestare non potuit, manifestatio enim praesupponit ignorantiam rei manifestandae, E. Deus creare debuit ens intelligens, cui maiestatem suam manifestaret ac demonstraret. Homo est ens intelligens, E. Deus homini gloriam suam manifestare uoluit.

§. XXXIX. Omnia creata sunt limitata, (§. 36.) E. et anima intelligens hominis est limitata. Limitatum potest esse, et in se est bonum, (§. 37.) Deus creauit non nisi bonum, E. Deus creauit intellectum hominis bonum. Peccatum est malum per se, et aberratio a voluntate diuina, E. Deus animam et intellectum hominis creauit sine peccato.

§. XL. Deus uult ab hominibus cognosci, (§. 38) qui uult finem, uelle etiam debet media, E. Deus homini sufficietes uires dedit, ut ipsum eiusque perfectiones legitime cognoscere possit. Ex cognitione imperfectionum nostrarum et perfectionum alterius oritur submissio; ex cognitione summarum perfectionum adoratio; quem adoramus illum submisse colimus. E. Deus uult ab hominibus coli et adorari.

§. XLI. Cognitio est uel *mediata*, uel *immediata*. Immediate Deus cognoscitur, si mentem hominis immediate illuminat, et ipsi quali immediata sui cognitionem infundit; mediate uero, quando ex inspectione creaturarum huius uniuersi ad perfectiones creatoris colligitur. Immediata cognitio fit sine subsidio sensuum et per miraculum, mediata ordinarie ope sensuum. Quod fieri potest per viam ordinaria, non debet fieri per miracula, Atqui Deus potest cognosci via ordinaria, E. Deus non uoluit cognosci per miracula.

§. XLII. Demonstrari etiam hoc potest h. m. Deus nil facit frustra et sine sufficiente ratione, agit enim sapientissime. (§. 9.) Ratio, cur Deus creauit hoc uniuersum, est demonstratio gloriae sua. (§. 35.) Demonstratio supponit ens intelligens, cui demonstretur. (§. 38.) Creaturae uero inanimatae et irrationales non sunt subiectum capax, cui demonstretur gloria Dei; sunt tamen creatae ad demonstrationem gloriae diuinae, E. esse debent media demonstrandi gloriam et maiestatem diuinam. E. Deus uoluit, ut homo maiestatem suam cognoscat ex inspectione creaturarum.

§. XLIII.

## REVELATIONIS DIVINAE.

19

§. XLIII. Deus creauit nil nisi bonum (§. 37.) E. creatureae omnes sunt bonae. Dantur gradus bonitatis, (§. 11.) E. una creatura melior est in suo genere, quam altera. Bonum est, quicquid nos nostrumque statum reddit perfectiore, seu, quod idem est, quicquid fini est conueniens: melius igitur est, quicquid plus facit, plus contribuit ad finem obtainendum. E. illae creatureae sunt optimae, ex quibus maxime et clarissime elucescit gloria diuina.

§. XLIV. Libertas est facultas eligendi optimum, (§. 21. et 23.) E. libertas uersatur circa bonum et malum, circa minus bonum et maius bonum. Datur ratio sufficiens, cur aliquid sit bonum uel malum, sit maius bonum uel minus bonum. Voluntas est inclinatio uersus bonum, utecumque cognitum. (§. 10.) Voluntas igitur nil appetit sine praeuia cognitione intellectus. Intellectus cognoscit rationes, cognoscit igitur, quid sit melius. Quicquid intellectus iudicat esse optimum, illud appetit uoluntas, E. homo creatus est cum libertate.

*Obseruatio:* Libertas uera non potest uersari circa mala, ut mala, neque circa maius malum et minus malum, nempe morale. Sed id ipsum est abusus libertatis, quando quis ex duobus malis moralibus eligit minimum. In malis quidem physicis hoc ualeat, ibi enim semper bona sunt mixta malis, in moralibus non item, nisi ex accidenti. Hinc regula; non sunt facienda mala, scilicet moralia, ut inde essent aliquid boni.

§. XLV. Intellectus hominis est limitatus, (§. 39.) itaque non potest sibi omnia possibilia repraesentare actu simultaneo, repraesentat igitur sibi res extra se positas successiue. Nihil est in intellectu, quod non antea fuerit in sensibus, (per exper.) repraesentat igitur sibi res extra se positas subsidio sensuum. Sensus sani legitime exhibiti non fallunt, repraesentare igitur sibi potest res, ut in se sunt et sua natura, i. e. uere. Veritas enim est conuenientiaensionum cum re.

§. XLVI. Repraesentatio intellectus est successiva et sensualis, (§. 45.) Repraesentatio sensualis clara quidem est, sed confusa: qui itaque rem tantum sensualiter cognoscit, ille nondum omnes distincte nouit characteres speciales, quibus res ab omnibus aliis rebus quoquis tempore discerni potest. E. nondum distincte nouit, num haec res melior sit altera. Ideo uero nobis data est ratio, ut bonum a malo discernamus, et semper optimum eligamus, E. homo

mo

mo non subsistere debet in prima representatione sensuali, aut agere secundum eandem, sed, attente considerando omnes notiones partiales et partes minimas rei, successive maior cognitionis gradus distinctaeque ideas sunt acquirendae.

§. XLVII. Deus creauit hominem bonum, et sine peccato, (§. 39.) creauit tamen illum limitate, ut res extra se positas successione et ope sensuum cognoscere debeat. (§. 45.) Cognitio sensualis est confusa, (§. 46.) adeoque iudicium secundum eam institutum potest esse erroneum. Voluntas agit secundum representationem intellectus; haec, si est erronea, aut silit nobis rem bonam, tanquam malam, aut malam tanquam bonam. Quicunque appetit malum sub specie boni, aut auersatur bonum sub specie mali, ille agit contra intentionem Dei, E. peccat. Patet igitur, *hominem creatum esse cum potentia peccandi*, licet remoti.

§ XLVIII. Deus per creationem mundi intendit demonstrationem gloriae suae, (§. 35.) intendit igitur, ut homines illam cognoscant, (§. 38.) deditque hominibus sufficientes vires illam cognoscendi, (§. 40.) E. si viribus concessis recte utuntur, cognoscunt Deum eiusque perfectiones actu. Deus habet omnes possibles perfectiones actu, (§. 13.) et est summum bonum. Cognitio boni parit laetitiam, summi boni, summam. Voluntas appetit bonum ab intellectu cognitum, uult ergo cum eo uniri et eius particeps fieri, E. homo eligit media ad illud perueniendi. Quo distinctior cognitio boni, eo maior est appetitus illius; eo promptius utitur quis mediis ad illud perueniendi. Media, ad summum bonum acquirendum conducentia, ipsa debent esse bona, E. statum hominis perfectiorem reddunt. Deus non uult aliqualiter cognosci et adorari, sed perfecte et summo gradu. Perfecta cognitio summi boni parit perfectam laetitiam, perfecta laetitia non est momentanea et temporaria, sed durabilis. Felicitas hominis consistit in statu durabilis gaudii, E. cognitio perfecta perfectionum Dei facit hominem felicem. Patet igitur, quod Deus per creationem mundi etiam secundario intenderit felicitatem hominis summam. Hinc concreuit etiam hominibus appetitum infinitum felicitatis suae, seu, quod idem est, perfectae cognitionis summi boni, quod est Deus.

Notanter dico, felicitatem hominum esse tantum finem secundarium creationis huius umuersi, si enim esset finis primarius, sequeretur,

tur, quod Deus homines ob peccata non posset punire, aut aeternum damnare. Sic nulla locum haberet satisfactio, sic omnes poenae nil aliud essent, quam extrema Dei remedia, homines e statu miseriae eripiendi, et statui pristino felici restituendi, sic damnatio impiorum non esset aeterna. Quam sententiam, in iustitiam Dei summam maxime iniuriam et blasphemam, omnes furent Indifferentiae, empectae et Epicuraei. Ex omnibus unicum adduxisse sufficiat *Democritum*, cuius uerum nomen est *Iob*. Conrad Dippel, qui uti in omnibus suis scriptis, ita in primis in *Demonstratione sua Euangelica &c.* (melius: diabolica) totus in eo est, ut iustitiam Dei summam, Christi satisfactionem, et aeternitatem poenarum infernalium neget et ludibrio exponat, uid. in primis Quaest. 14. ubi: Ob nicht Gott in der über die Menschen gebrachten Sündfluth das äuserste Mittel seiner Liebe vorgekehret, den Geist mit Gewalt aus dem Verderben der irroischen Eüste zu reissen, und die Ungläubigen in dem Gefängniß nach dem Tode durch Gericht und Gerechtigkeit bequem zu machen, seiner Stimme zum Heyl einmahl besser zu gehorchen? Et quaest. 57: Ob nicht, wenn in der Schrift von Belohnung der Gläubigen und Bestrafung der Ungläubigen in und nach diesem Leben Meldung geschiehet, in beyderley Stücken kein eigentlicher Lohn oder Vergeltung -- angezeigt werde. Und ob nicht Gott bey denen, die da abweichen, als ein treuer Medicus, harte Mittel der Liebe brauchen müß, der Sünde in ihren Ausbrüchen zu wehren, und die verirrete Creatur gleichsam in einem Gefängniß zur Erkāntniß ihres äusersten Elendes, und zum Hunger und Durst nach den wahren Gütern zu bringen? Ob folglich nicht alles, was in Gott als Gerechtigkeit concipiret, und in der Schrift in Absicht auf die creatur gesaget wird, sich wiederum in den concept der Liebe reducire und auflöse? Et hoc redeunt omnes reliquae quaestiones, et totum Systema Democriti, quod unice fundatur in errore isto conceptu, finem creationis primarium et unicum fuisse felicitatem hominum perpetuam.

§. XLIX. Datur peccatum in mundo, quod tristis comprobat experientia. Rarissime homines cognoscunt res, uti in se sunt, plerumque appetunt mala sub specie boni, plerumque, imo fere

B

semper

semper, auersantur bona sub specie mali. Deus creauit mundum sine peccato, (§. 37.) neque intendit peccatum, (§. 47.) E. peccatum non culpa Dei, sed culpa hominum uenit in mundum. Quomodo enim Deus sanctissimus, qui omne auersatur malum, posset uelle aut eligere peccatum? Esse hoc contradictorium, ipsa statim peccati definitio ostendit. Id quod etiam infra §. 52. pluribus demonstrabitur.

§. L. Deus homini sufficientes dedit vires ad finem in creatione intentum obtinendum. (§. 40.) Finis *primarius* est gloria Dei, *secundarius* hominum felicitas. Media sunt inspectio, consideratio et usus creaturarum. (per demonstr.) Deus hominis intellectum creauit finitum, repreäsentant igitur homines sibi creature successiue. (§. 45.) Dantur gradus bonitatis creaturarum, (§. 43.) Deus semper uult optimum, uult igitur, ut etiam homines ellegant optimum. Deus creauit hominem cum libertate, (§. 44.) E. homo potuit eligere optimum. Quando homo optimum eligit, agit secundum voluntatem Dei, potuit ergo agere secundum voluntatem Dei, E. potuit non peccare. Reمانet igitur, quod homo sponse defecrit, et sua abusus libertate peccatum commiserit.

§. LI. Peccatum est actio contra legem, seu voluntatem Dei suscepta. Deus concurreauit hominibus infinitum felicitatis appetitum, (§. 48.) uult ergo hominis felicitatem. E. dedit sufficientia media ad felicitatem obtinendam. Deus intendit tantum *secundario* hominis felicitatem, (§. 48.) E. uoluit, ut media ad felicitatem obtinendam conducentia ita adhibeantur, ut gloria eius iis promoveatur. Si igitur media aliter adhibentur et in aliud finem, peccatur contra voluntatem Dei, E. si homines in ipsis mediis quaerunt felicitatem suam, peccant.

§. LII. Deus auersatur peccatum. (per demonstr.) Deus creauit mundum optimum, mundus peccato infectus non est optimus, (§. 37.) E. hic mundus non est optimus, adeoque nec sic, uti nanc est, a Deo creatus. Sed mundus hic, quoad substantialia, est idem mundus, quem creauit Deus, E. accidentaliter tantum mutatus est. (per superius demonstrata p. 17.) Accidentia sunt contingencia, mutari igitur possunt. Cum uero nihil fiat sine ratione, sequitur et mundi mutationem habere rationem. Mutatur aliquid autem in

in melius, aut in peius, neutra mutatio a Deo dependere potest, decreta enim Dei sunt immutabilia, et si Deus mutaret consilium semel suscepit, aut non esset sapientissimus, aut non omnipotens.  
f) E. nec mundi mutatio, qua mutatus est in peius, dependet a Deo, *causa igitur mutationis querenda est extra Deum.*

*Quaer. Cur Deus permisit malum morale, seu peccatum, cum tam illud ui omnipotentiae suae impidire posuisse?* Acriter disputatum est hac de re, et variae variorum sunt sententiae, pleraque tamen in Deum eiusque perfectiones uidentur esse iniuriae. g) Nos ἐπίχειρον eligimus, et ingenue ac sponte nostram profitemur ignorantiam, satius esse existimantes, tacite et submissa mente uenerari summam Dei sapientiam, iustitiam et benignitatem, nostram deplorare miseriari, et grato animo agnoscere Dei misericordiam, qui nobis in uerbo suo revelato sufficientia dedit media, ex hoc miseriae statu rursus eluctandi, quam imbecilli nostra ratione impudenter rimari mysteria Dei, quae Deus nobis voluit esse ignota. Sufficit, Deum nolle et auersari peccatum, sufficit Deum punire peccata, imo sufficit Deum permisisse peccatum. Sed quare? Quid tua hoc refert scire? Nos igitur pie ueneramus summam eius sanctitatem, dicentes: O altam sapientiae cognitionisque Dei opulentiam! quam penitus recondita eius iudicia! quam abstrusae sunt rationes! Quis enim domini mentem nouit? aut quis ei fuit a consiliis? b)

§. LIII. Causa igitur mutationis mundi in peius, seu causa peccati, non est Deus: neque querenda illa est in nexu naturali mundi, siue in subordinatione perpetua causarum et effectuum naturalem mundi, haec enim dependet a Deo. Peccatum est actio contra uoluntatem Dei suscepit, E. causa est ens intelligens creatum: de lapso et seductione diaboli nil cognoscit ratio sibi relicta, concludit ergo, *causam peccati esse ipsum hominem.* Deus intendit felicitatem hominis perpetuam, (§. 48.) E. omne peccatum obest felicitati, et statum hominum imperfectiorem reddit. Voluntas nil appetit nisi bonum, et quod statum hominis perfectiorem reddit, E. *causa peccati est apparenſ felicitas, siue iudicium errorem de bonitate.*

B 2

te

f) Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29.

g) conf. Fabricii Syllabus Scriptorum de ueritate religionis Christ. C. XV, p. 378. sqq. Grappii Theol. recens controly. C. VI. Qu. 5. p. 163. sqq.

h) Rom. XI. 33. 34. Es. XL. 13. Ier. XXIII. 18. Iob. XI. 7. XV. 8. Pl. XXXVI. 7.

*re obiectorum, extra nos positorum.* Obiecta extra nos posita esse debent, ex intentione Dei, media felicitatis nostrae, (§. 51.) E. iudicium de *iis erroneum habemus, quando in iisdem ipsam quaerimus felicitatem.*

§. LIV. Felicitas hominum consistit in unione cum summo bono; summum bonum est Deus. Homines felicitatem suam quaerunt extra Deum in rebus creatis, (per exper.) agunt ergo contra Dei intentionem, et per consequens felicitatem suam non inueniunt, adhibent enim media fini suo contraria. Deus est sanctus, et uult nil nisi bonum, (§. 17.) est etiam iustus, et agit sanctitati suae conuenienter. (§. 20.) Finis creationis primarius est demonstratio gloriae, E. et sanctitatis suae. Demonstrat Deus sanctitatem suam, quando creaturis intelligentibus, contra intentionem suam agentibus, damnum infert, quod necessario sequitur ex actione contra uoluntatem eius instituta. Damnum ex actione contra legem suscepta fluens dicitur *poena*, E. Deus ui*u* *in* *istitiae* *suae* *punire* *debet* *transgressores* *legis.*

§. LV. Habet *in* *istitiam* *Dei* *uindicatiuam* a priori demonstratam, en aliam demonstrationem non infirmiorem: Omne damnum, illegitime illatum, est resarcendum. *Damnum* in genere est iactura quelibet, ein Verlust. Iacturam capere possum uel felicitatis meae, uel intentionis meae. Damnum, priori sensu sumtum, in Deum cadere nequit, est enim perfectissimus, felicissimus, et sibi ipso sufficiens. Quis uero negabit, si more humano loqui licet, Deum per peccata damnum capere intentionis suae, seriaeque uoluntatis ac preecepti? Damnum igitur hoc Deo resarcendum est ab hominibus: cum uero hoc ipsis sit impossibile, (per §. sq.) sequitur, *quod Deus illos punire debeat, et quod ipsi etiam iacturam accipere debent* *felicitatis* *suae*; iuxta illud tritum, quod non male hic applicatur; *qui non soluit in aere, luat in corpore.*

§. LVI. Deus ui*u* *in* *istitiae* *suae* *punire* *debet* *legis* *transgressores*, (§. 34. et 55.) E. ui*u* *in* *istitiae* *suae* non amplius uelle potest eorum felicitatem, nisi honor eius et iactura intentionis suae per actionem peccato aequipollente restituatur. Qui non uult finem, neque uult media, E. Deus ui*u* *in* *istitiae* *suae* priuauit homines viribus ipsum perfecte cognoscendi et amandi, E. homines post lapsum Deum non possunt recte cognoscere et colere, in quo eorum consistebat felicitas; multo minus possunt honorem eius per actionem peccato aequi.

aequipollentem restituere. Restitutio honoris seu damni alicuius, per actionem laesioni aequipollentem, dicitur *satisfacio*. E. homines  
*Deo pro peccatis satisfacere non possunt.*

§. LVII. *Misericordia* est affectio animi, qua quis alterum ex miseriae statu cupit esse erexit. Deus *ui iustitiae* quidem uult hominum infelicitatem, tanquam peccati poenam uult tamen non absolute. Miseria enim hominum consistit in peccando et habitu peccandi, quia itaque Deus non potest non auersari peccatum, seu id, quod voluntati suae contrarium est, necessario etiam uult hominum felicitatem, siue, ut non peccent, sed media legitima et fini suo conuenientia adhibeant. Vult igitur, ut illi liberentur ex statu miseriae, salua tamen satisfactione, quae iustitiae suae debetur, E. *Deus est misericors.*

§. LVIII. Demonstrari etiam potest *misericordia Dei a posteriori*: Deus conseruat homines adhuc post lapsum, idem uero finis est conseruationis, qui creationis, conseruat igitur omnes homines ideo, quia scilicet etiam post lapsum ab illis uult cognosci ac coli. Vult igitur tamdiu cognosci, quamdiu existunt homines: qui uero uult finem, uelle etiam debet media. Deus *ui iustitiae suae priuauit* homines, uel saltem priuari permisit, mediis et uiribus ipsum perfecte cognoscendi, (§. 56.) sed nunquam uelle potest cognitionem sui falsam et erroneam, et cultum falsum et erroneous; cultus enim Dei falsus et illegitimus est *idolatria*, adeoque peccatum. Vult igitur post lapsum ab hominibus recte cognosci, recteque coli. In recta et perfecta Dei cognitione, amore et cultu consistit hominum felicitas: uult igitur Deus hominum lapsorum felicitatem, E. *est misericors.*

§. LIX. Deus uult ab hominibus recte cognosci, etiam post lapsum. (§. 58.) Homines post lapsum destituuntur sufficientibus uiribus Deum recte cognoscendi, (§. 56) cum igitur subiectum mediorum ordinariorum incapax sit, alia suppeditare debet media, quorum capax est: alias Deus uellet finem sine mediis. Iam per lapsum homo amisit uires concreatas cognoscendi Deum recte et perfecte, mediisque adeo naturalibus post lapsum destituitur, E. cum uires naturae desierint, opus est gratia. E. *opus est pecuniarum et speciali revelatione.*

§. LX. Sed fluit hoc etiam ex misericordia Dei, uti a nobis explicata et probata est, h. m: Deus est misericors, et uult hominum lapsorum felicitatem. (§. 57.) Homines post lapsum peccant quotidie, agunt ergo contra intentionem Dei et propriam felicitatem, hinc felices fieri non possunt, quia elignit media fini suo contraria. Quicquid Deus uult, uult serio, uult igitur hominum lapsorum salutem serio; cum igitur homines lapsi naturaliter et sibi relictii promoueant infelicitatem suam, Deus specialiter eos de miseria sua conuincere debet, iisque ueram manifestare felicitatis uiam. Haec specialis Dei manifestatio dicitur *reuelatio*, E. *opus est reuelatione.*

§. LXI. Et sic, ni fallor, solide demonstrata est *Necessitas Reuelationis diuinae*, restat nunc, ut breuiter quidem, tamen sufficienter, enumeremus *adiuncta primaria et characteres*, quibus *uera Reuelatio diuina* a fallis, subreptitiis et fictis discerni posse; tanta enim huius ueritatis uis est et efficacia, ut nulla gens sit tam limmanis tamque barbara, quae non de illius necessitate conuicta quandam lactauerit reuelationis speciem. Dabimus uero eiusmodi characteres, qui *soli* competunt *reuelationi diuinae*, et semper. i)

§. LXII. *Reuelatio est effectus Dei immediatus*; effectus Dei immediatus, qui per media naturalia ordinaria obtineiri nequit, dicitur *miraculum*, E. *reuelatio sit, aut facta est per miraculum.*

§. LXIII. Deus nec fallere nec falli potest, est enim sapientissimus, (§. 9.) cum igitur reuelatio sit immediatus Dei effectus, sequitur, quod, quae reuelatio tradit, infallibiliter uera sint, E. *nunquam sibi uere contradicit reuelatio*. Contradictiones enim auctorem uel mendacii arguunt, uel erroris, quod, uel de Deo cogitare tantum, blasphemum est.

§. LXIV. Cum reuelatio eundem agnoscat auctorem, saltem primarium, quem ratio, et data sit ad emendandam et perficiendam naturam et rationem, sequitur, quod *reuelatio nihil continere possit, quod sanas et emendatae rationi uere contrarieatur*, et cum ea pugnet; tales itaque de Deo eiusque perfectionibus tradat ideas, necesse est, quales

;) de characteribus uerae reuelationis conf. Cl. Rinni Diff. De Reuel. diu. §. 25. sqq. p. 25, sqq. et Buddens Phis. Pract. C. VI. §. 63. p. 194.

*quales ipsa ratio sana et emendata Deo dignas esse indicare et confici debet. Sed patet firmul ex eodem fonte, quia reuelatio defectum et hiatum cognitionis naturalis supplere debet, et quia finis reuelationis est manifestatio uiae salutis per naturam incognitae, et mediorum, quibus Deum nobis reconciliare et cum eo in gratiam redire possumus, quod etiam tradere debeat mysteria; seu res, quae sunt supra naturam, et ex lumine rationis cognosci nequeunt, licet eidem non contrariantur.*

§. LXV. Reuelatio instruit nos de uoluntate diuina, secundum quam vitam et actiones nostras instituere debemus. Voluntas Dei est sancta, et uult nil nisi bonum. E reuelatio nil nisi sancta tradere debet, et quae gloriam ac maiestatem diuinam commonstrare. Quae igitur reuelatio affectibus blandiis uiros, non est diuina.

§. LXVI. Perfecta etiam esse debet reuelatio diuina, et sufficiens ad salutem. Perfectum enim dicitur, quod ad finem obtainendum sufficit. Ostendat igitur, necesse est, talia media placandi Deum, quibus conscientia peccatis perterrita tranquillari possit. Ex perfectione fluit et *Uniuersalitas reuelationis*, quod reuelatio pertineat ad omnes homines, nullo excluso.

§. LXVII. Quia homines omnes, etiam simplices, ex reue~~latione~~ cognitione cognoscere debent ueram salutis viam, quam ex sana ratione cognoscere non possunt, sequitur, quod reuelatio debeat esse perspicua, et capiui hominum accommodata.

§. LXVIII. Habes et primarios reuelationis characteres: paucissimis adhuc inquirendum est in modum reuelationis. Reuelatio fieri potest, aut per immediatum alloquium, sed cum reuelatio debeat esse uniuersalis, et nemo probare possit eiusmodi immediatam Dei allocutionem, iudicat ratio, hunc non esse uerum reuelationis diuinae modum; aut per signa, imagines et figuras hieroglyphicas, sed cum eiusmodi signa aequi obscura sint, saltet simplicioribus et plebeiis, ac res lignata, neque hic uerus esse potest reuelationis modus; (per §. 67.) aut per immediatam illuminationem et inspirationem.

§. LXIX. Immediata illuminatio seu inspiratio contingit aut omnibus, aut tantum quibusdam hominibus. Non omnibus eam contingere, experientia sati superque docet: k)E. quibusdam tantum

k) Fanatici hodierni, qui immediatam adhuc iacent inspirationem, et lumen aliquod internum 1) doctrinam suam miraculis confirmare nequeunt, 2)

tum. Cum uero res sit maximi momenti, et multi falso reuelationem iacent diuinam, cumque simplicioribus admodum difficile sit ueram a falsa discernere, optime concludit ratio, *Deo dignissimum esse, suam miraculis confirmare reuelationem*. Imo altius surgens, ac perpendens, admodum difficile esse uera miracula discernere a falsis, seu mirabilibus, (quia nemo omnes cognoscit uires naturae occultas) probabiliter colligit, Deum alicubi per uiros eiusmodi ~~dearneū58c~~ litteris consignasse uoluntatem suam, ut demum homines miseri normam haberent certam, immutabilem et infallibilem, secundum quam uitam actionesque instituere debeant, ut placato Deo conscientiam tranquillare, et demum aeternum saluari possint.

§ LXX. *Datur igitur reuelatio divina*, seu doctrina ab ipso speciali modo hominibus tradita, quae homines de summo bono instruit, mediaque ipsi sufficientia et ratione incognita suppeditat, quibus Deo satisfacere, cum eo in gratiam redire, eum recte cognoscere, ac demum aeternum felices fieri queant. Sed quena est illa? Omnes clamitant gentes; nos habemus ueram reuelationem. Omnes uero illam habere non possunt; una, perpetua et constans est uoluntas Dei, E. necessario unica tantum est reuelatio diuina. Quena uero est ex his multis? num gentilium oracula, aut Muhametanorum Alcoranus, aut Iudeorum Talmud, aut Fanaticorum recentiorum iactatae reuelationes diuinae immediatae, aut Scriptura Sacra Christianorum? Nihil hic certi cognoscit ac determinat ratio. Optimum consilium suppeditat Augustinus, dicens: *lege et iudica*. Euolue igitur omnes et attente perlustra, quae iactantur, reuelationes, et facile iudicare poteris, quena perfectionibus Dei sit conuenientissima, et ex qua maxime eluceat gloria et maiestas diuina. Sic facile inuenies, *quod sola Scriptura Sacra sit uerbum Dei*, et *quod uerbum Dei sit ueritas*.

tradunt aut talia dogmata, quae Deo eiusque perfectionibus indigna esse ipsa cognoscit ratio, aut 3) talia, quae iam ex sana ratione et Scriptura Sacra constant, E. iactatae eorum reuelationes immediatae mera sunt mendacia, et illusiones diabolicae.

T A N T V M.

¶ (o) ¶


Wittenberg, Diss.) 1732


ND 18



SB 700

Nov. 24. 1978 Sh. & Katalog. off





B. C. D 1772 24

DISSESSATIONIS ACADEMICA  
QVA  
NECESSITAS REVELA  
TIONIS DIVINAE  
A PRIORI DEMONSTRATVR  
SECTIO POSTERIOR  
IPSAM EXHIBENS DEMONSTRATIONEM

---

QVAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE

PRAESIDE  
M.CHRISTOPH.LVDOVICO  
OBBARIO  
AVLEB. THVR.  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO  
AD D. MART. M DCC XXXII  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
EXPONIT  
WOLFGANG. HENRICVS GRAVN  
OBERGRAEFFENH. MISN.  
REV. MIN. CANDID.

P. 229

VITEMBERGAE  
LITERIS SCHLOMACHIANIS

